



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 10. Sessio sexta Concilii Constantiensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

ejusque industriæ debetur, quod non so- Sæcul. XV.
lum Venetiis, Florentiæ, Romæ, & Pa- A.C 1415.
tavii Græcarum literarum studium flore-
ret, sed insuper latinus sermo, qui sæcu-
lorum præcedentium barbariem pluri-
mum redolebat, integritati suæ restitue-
retur. Scripsisse fertur Grammaticam
græcam, aliudque quoddam opusculum,

§. X.

Sessio sexta.

Sexta Concilii Sessio habita est die de- Labb. Conc.
cima septima Aprilis; In ea agitatum, gen.tom. 129
ut Joannes vel ad Synodum redire, vel p. 26.
sincera fide Papatum deponere compelleretur. Igitur sacro solemniter de Spiritu Sancto per Archiepiscopum Gnesnensem decantato, Cardinalis Vivariensis, utpote ceteris antiquior, Sessioni præfuit, quo honore in reliquis quoque sessionibus usque ad electionem novi Pontificis defunctus est. Aderant Imperator, omnesque Cardinales Constantiæ degentes. Absolutis litanis, aliisque consuetis precibus S. Evangelium ex capite X. S. Joannis: *Ego sum Pastor bonus &c.* depromptum legebatur, postea concepta mandati formula, quæ Pontifici ad cedendum Papatu proponeretur, recitata, atque approbata est. His peractis duo ex qualibet Natione a Synodo designabantur Procurato-
res,

res,

Sæcul. XV.
A.C. 1415. res, illis adjungendi, quos Joannes Papa nominaturus esset. Tandem vero Cardinalem S. Marci, & Florentinum, aliosque, qui ad hanc mandati formulam Pontifici deferendam deputati fuerant, Synodus confirmavit.

§. XI.

Papa per Deputatos ad Synodum revocatus.

*Vander
Hardt p. 126
tom. 4.*

Hisce Deputatis datum est negotium, Joannem urgerent, ut vel ad Synodum rediret, vel infra bidui spatium Ulmam, Ravenspurgum, aut Basileam sibi seligeret, eoque sese, præstituto decem dierum termino, conferret, nec inde recederet, donec unionis negotium, in quantum ab illo dependeret, absolutum esset. Si vero recusaret, se ab eo exacturos Bullam, in qua se Papali dignitate exutum declararet. Sancitum quoque, illico contra ipsum tanquam schismaticum, & hæreticum notorium juxta legis rigorem procedendum, si hæc conditiones sibi oblatas acceptare renueret. Nihilominus Synodus, antequam ad hæc extrema perveniret, Joannis responsum expectandum censuit, & Deputatorum discessum omnino differendum, eoquod a Duce Austriæ, per cujus ditiones transire debuerant, necdum liberi commeatus li-
teras